

aliter fuerit baptizandus. Sicuti aliquot abhinc annis casus ad Facultatem Theologicam hujus Academiae perscriptus fuit, ubi Minister ebrius baptizavit infantem, qui per ebrietatem vix hæc verba: Ich täuffe dich im Nahmen des Vaters / proferre potuit, deinde tacuit, vel alia admiscuit ad baptismum non pertinentia. Circumstantes dixerunt: Er seye in die heilige Dreyfaltigkeit kommen. Unde colligitur, post verba im Nahmen des Vaters nominasse Trinitatem. Infans deinceps legitime in ædibus privatis parentum legitime baptizatus, irrito pronunciato hoc baptismo, quia quod non legitime factum pro non facto habetur.

§. 4. Præceptum III. Minister Ecclesiae operam det, *ut integra verba Institutionis Baptismi retineat, & verba in nomine Patris, Filii & Spiritus S. integra pronunciet*: sine verbis institutionis enim baptismus non est legitimus &c.

§. 5. Sed dicat quis, quid ergo sentiendum de baptismo administrato quidem in nomine Trinitatis, non tamen distincte expressis personis Divinitatis, ut tantum dicat Minister: *Baptizo te in nomine Trinitatis*: aut etiam in nomine Christi? *Respondetur*, non quæritur jam, an liberum sit Ecclesiae Ministro, sive baptizet in nomine Personarum Trinitatis, ut distincte exprimantur, sive in genere in nomine Trinitatis, non distincte expressis personis divinis. Hoc enim non est liberum Ecclesiae ministro, sed obligatus est, ut more in Ecclesia aliqua recepto distincte exprimat personas. Sed *quæritur*, an si Minister vel studio, vel ex imperitia baptismum administret, non distincte expressis personis, ut tantum dicat: Baptizo te in nomine Trinitatis, vel in nomine Domini nostri JESU Christi, sit verus Baptismus, qui pro rato habendus, ac de novo infans sit baptizandus? Ad hoc *respondetur*: Minister hoc modo Baptismum administrans graviter quidem peccat, baptismus tamen verus & pro rato habendus, quia licet in ver-
bis